





4.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**CRISIBVS**  
**CVM FEBRIBVS TANTVM,**  
**NON ALIIS MORBIS CONNEXIS,**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINA ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI, ET COMITE PALATINO CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

D. XIII. OCTOBR. A. R. S. C<sup>15</sup> CCLXIV.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**CAROLVS CVHLEMAYER**  
HERFORDA-GVESTPHALVS.

---

HALAE MAGDEBURG. APVD IO. CHRIST. HENDELII VIDVAM.







DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**CRISIBVS**  
**CVM FEBRIBVS TANTVM,**  
**NON ALIIS MORBIS CONNEXIS.**

---

PROOEMIVM.



Crisium theoriam magnis multisque premitis difficultatibus, neque ipsi ignorant Medicinæ tirones. Existentia, caussæ, harum modus agendi, effetus, tempus, signa, aliaque, quae in criticis morborum solutionibus cogitari possunt, tenebris maxima ex parte obvoluta latent, neque unquam forsitan in tanto Medicorum discrimine inclarecent ita, ut nullus dubitandi locus superfit. Multa interim eorum, quae in crisibus ita abscondita

dita delitescunt, hoc modo sunt comparata, vt iisdem  
sine magno derimento careat Medicina. Gaudet scilicet  
Medicina vltimo quodam fine, ad quem omnia Medici  
tendunt conamina. Omnes ergo, quod cum illo conspi-  
rat fine, & sine quo ista vel plane non, vel minus con-  
gruenter assequi Medicus potest, non utile tantum est  
in Medicina, sed etiam non sine magna noxa in eadem in-  
gnoratur. Vocatur ideo *practicum*. Quod vero con-  
traria sepe ratione habet, id utile quidem esse potest, re-  
lato eodem ad totius cognitionis humanae ambitum, in  
ipsa vero Medicina sine notabili damno eo caremus, est  
que id, quod *speculatum* nuncupatur. Quodsi cum  
his notionibus conferas multa, quae in crisiū theoria  
latent, facile concedes, vel paruum, vel nullum esse dam-  
num, quod ex illorum ignorantia in Medicinam redundat.  
Docet e. g. obseruatio, crisiū in morbis contingere  
certis quibusdam diebus, nisi incongruo medicamento-  
rum viu, aut aliis rebus accidentibus turbetur. Multa  
circa explicandum hoc phaenomenon dixerunt Medicī;  
solidissima autem, quae hac de materia locuti sunt, illu-  
strant eandem, non explicant. Huius ergo critici phae-  
nomeni ratio ignoratur, &, quantum probabili coniectu-  
ra assequi possumus, in aeternum ignorabitur. Nihilo  
minus practica Medicinae pars hunc defectum sine damno  
perfert. Sufficit enim Practico scire, dari in morbis dies  
criticos; atque licet caussam illarum, quatenus certo in-  
gruant tempore, perspicere nequeat, poterit tamen sine  
illius cognitione morbosas corporis affectiones felicissime  
arcere. Caue tamen existimes, quaecunque, quod cri-  
ticas morborum solutiones attinet, Medicum fugiunt,  
huius semper fursuris esse & farinae. Multis non sine  
damno

damno caret Medicina practica. Refero huc existentiam dierum criticorum, tempus, quo ingruunt naturaliter, signa omnia, e quibus futura crisis & viae criticarum excretionum praedici possunt, aliaque. Quodsi haec omnia rite explorata, euicta & demonstrata essent, nullum esset dubium, quin longe maiorem sane perfectionis gradum posset medica praxis assequi. Facile enim patet, horum omnium scientiam Medici actiones in exercenda praxi egregie dirigere posse. Ad easdem res iure etiam debent meritoque verae crisiū cauſſae reuocari. Therapiæ enim lex: *Crises non facile ſunt turbandæ, ſancte feruari debet.* Non poteris vero rite diiudicare, an remedium vel medicamentum nocuum aut salutare aegro ſit, reſpectu crisiſ, niſi cauſſam crisiū rite cognoscas. Quamobrem conſtat, cognitionem verae crisiū cauſſae utilem esse & practicam. Idem ergo de themate, quod nunc pertractandum mihi ſumſi, iudicium ferendum effe cenſeo. Dum enim crisiſ ſoliſ febribus ſunt ſolemnēs: in ipſis febribus & cum hiſ connexiſ vera latebit crisiū cauſſa. Haec idcirco eo facilius, priore cognita propositione, innoteſcer, vt contra ea etiam ex cognita crisiū cauſſa euinci debet, crisiſ febribus tantum, non aliis morbiſ poſſe familiareſ eſſe. In duas ergo ibit partes tota haec pertractatio: in priore Sectione *Crisiū requiſita* determinare annis ſum; in posteriore autem *cauſſae* erunt adducendae, quibus fit, vt febribus tantum criticae contingent ſolutiones. Ceterum Specimen hoc Lectorum iudicio beneuolo commendo.

## SECTIO I.

SISTENS

## REQVISITA CRISIVM.

## §. I.



**M**orbi corporis humani, utpote sanitatis statui oppositi, mutari possunt. Fieri ergo potest, ut morbus praesens in praeteritum statum mutetur. Quod si fiat, *morbum esse solutum seu iudicatum, latiori significatu*, Medici dicunt. *Solutio* itaque *morbi* supponit morbi praesentis in praeteritum statum mutationem. Sic redeunte a morbo sanitate, morbi solutionem factam esse dicimus.

## §. II.

Tripli idcirco ratione morborum solutiones conciperemus: 1) *Quando post morbum cum sanitate aeger in gratiam reddit.* Praesente enim sanitatem omnis absit morbus necesse est. Quodsi nunc aeger antea laborauerit morbo: hic praeteritus esse debet; ergo solutus (§. I.). 2) *Quando ex praesente morbo nascitur alius ita, ut prior simul abeat.* Sic SYDENHAMVS in nonnullis febribus intermittentibus obseruauit, easdem non abire, nisi tumor scirrhosus lienem adficeret. Hoc itaque comparente euanidae istae febres factae sunt. Quum vero antea in corpore aegro constiterant: iure solutae vocantur. 3) *Quando ex morbo moritur aeger.* A morte enim omnis morbus abest. Morbus ea propter, qui morte multat aegrum, vere solutus dicendus est (§. I.). *Morborum itaque transitus in sanitatem,*

tatem, morbum alium & mortem, nil sunt, nisi eorundem solutiones. Quocum usus loquendi conspirat.

§. III.

Salutare, respectu corporis humani, vocatur id, quod cum sanitate illius consentit. Quamobrem omnis mutatio, quae in eodem contingit, atque sanitatem illius producit, fulcit, roborat, salutaris dicenda erit. Hinc omnis morborum solutio (§ I. II.) vel salutaris est, vel non. Quando nimurum morbi soluuntur ita, ut sanitas vel in integrum redeat, vel minus, quam antea, labefactata sit, *salutaris morborum contigit solutio*. Quando contra ea morbi vel transitu in mortem, vel sanitatis statu maiori in gradu laeso soluuntur, tunc facta *morborum solutio minus* erit *salutaris*. Ergo *morborum solutio*, quae aut sanitatis redditu, aut morbi minoris procreatione absoluatur, erit *salutaris*; illa vero, quae aut per mortem sit, aut morbo maiore producitur accedit, *insalubris dicenda*.

§. IV.

Quum omnis solutio morborum mutationem status morbos inuoluat (§ I.), ad temporis spatium, quo sit solutio, respicere possumus. Sic vero solutiones morborum in subitas & lentas distinguere possumus. Solutio enim morbi vel breviori temporis spatio, vel longiori absoluatur. Si prius, erit *subita*; si posterius, erit *lenta*. Concipe v. gr. duo corpora plethorica; fac, in uno enormem haemorrhagiam, in altero largiorem sudorem contingere. Fiet tunc, ut plethora soluatur. Quoniam autem haemorrhagia determinata longe citius plethoram soluit, quam sudor: prior solutio erit subita; posterior vero, relata ad priorem, lenta iure dicenda erit.

§. V.

## §. V.

Dantur morbi, qui a materia quadam, collecta in corpore humano, originem suam sumunt, e.g. febres, plethora, &c. Hi duplice maxime ratione naturaliter solui obseruantur. Nimirum 1) *facta illius materiae excretione.* Sublata enim causa, tollitur effectus. Quodsi ergo a materia quadam morbosa corporis proficiscatur affectio, illiusque oboriantur excretio: fieri aliter non potest, quin morbus euanscat, hinc solvatur (§. I.). 2) *Facta illius materiae in certo quodam loco collectione.* Tunc enim morbus quidem corpori inexsistit; sed alius a priore diuersus. Huius ergo tunc omnino contigit solutio. Hae morborum solutiones modo salutaribus, modo noxiis (§. III.), modo lentis, modo subitis adnumerari debent. Plethorae solutio per haemorrhagiam & largiorem sudorem est salutaris, sed modo subita, modo lenta. Quando a materia febrium intermittentium producitur apoplexia; solutio morbi fit per collectionem materiae in alio loco. Mala vero haec est, atque vel subita, vel lenta. Similia in aliis casibus obseruamus, quos exempli causa adferre possem, si veritas huius rei maiori robore indigeret.

## §. VI.

Solutio morbi, cum eiusdem sit mutatio (§. I.), vel arte fit, vel natura. Illa erit *artificialis*, haec *naturalis morbi solutio*. Si plethora arte solvitur per Venasectionem, sic naturaliter solvitur per haemorrhagiam menstruam in subiectis sexus sequioris. Datur etiam ex utroque mixta.

## §. VII.

*Solutio morbi nar' ένησιν* dicitur solutio morbi, quae materiae morbosae excretione absoluitur (§. V. n. 1.). Solutio

tio morbi ~~uirtutum~~ ~~peruersorum~~ vocatur illa, quae collectione materiae morbosae in alio loco fit (§. V. n. 2.). Vtraque est vel artificialis, vel naturalis, vel mixta (§. VI.).

§. VIII.

Dantur mutations in corpore humano, quae a natura illius perficiuntur. Natura vero agit virium, quibus gaudet, operatione. Ergo naturales istae corporis mutationes non poterunt non a virium naturae humanae actione pendere & proficisci. Quare etiam solutiones morborum naturales (§. VI.) sive cum excretione, sive cum translatione materiae (§. VII.) connexae esse debent. In his vero natura humana in materiam morbosam agit (§. I. VI. VII.), unde plus illius vires, quam in sanitate, excitari & incitari possunt (per princip. patholog.). Cogitare itaque possumus naturalem morborum solutionem, quae cum valida virium corporis actione stipatur. Quoniam nunc eiusmodi intensa virium actio sine turbulentis corporis motibus cogitari nequit:ocabimus solutionem, inde obortam, *turbulentam*, huic vero oppositam, *placidam*. Vtriusque solutionis specimen in morbis, porissimum febribus, occurunt. Notare saltem hic volo, ea, quae de naturali morborum solutione dicta hic sunt, ad mixtam, quatenus ex naturali simul constat (§. VI.), iure etiam applicari debere.

§. IX.

*Omnis subita mortis solutio naturalis, erit simul turbulentia.* Quum enim omnis natura lis solutionis morborum a virium naturae humanae actione proficiscatur (§. antec.); praeterea illa non possit subita esse, nisi validius vires corporis agant; hae porro circumstantiae solutionem morbi naturali efficiant turbulentam: dubium non est, quin omnis solutio

solutio morbi naturalis & subita, sit quoque turbulentia (§. antec.). *Solutio contra ea lenta & naturalis placida magis esse debet*, vti simili ex fundamento evincitur. Dici quidem posset, in morbis leuioribus subitam plerumque fieri morbi solutionem, quam tamen turbulentiam esse non obseruamus. At enim vero gradus solutionis turbulentiae adsumi debent, atque in istis etiam morbis turbae adsunt, verum non ita magnae.

## §. X.

*Morborum solutio turbulentia & naturalis subita etiam sit necessaria est.* Sub turbulentia enim naturali morborum solutione vires corporis valide intenduntur (§. IX). Effectus caussae suae semper erit proportionatus. In proposito ergo casu valida, hinc etiam celer, subitaque morborum nascetur solutio. *Placida contra ea morborum solutio naturalis, ut potest in qua vires corporis minus intenduntur, non poterit alia, quam lenta esse.*

## §. XI.

*Crisis*, sumto vocabulo strictiori in significatu, est solutio naturalis & turbulentia. Hinc omnis crisis simul erit solutio morbi subita (§. XI.). At nulla solutio morbi placida & lenta crisis debet proprie nominari (§. IX X). Hinc ars quoque proprie caussa crisiū dici non potest.

## §. XII.

Definitio, quam §. anteced. adduxi, fere unicum est subsequentis tractationis fundamentum. Quare opus est, vt ulterius confirmetur. Veteres crisis vocabulum diuersa ratione acceperunt, quod scripta imprimis **GALENI & HIPPOCRATIS** testantur. Nos praecipuos horum significatum adducemus. Sumitur nempe i) pro *quacunque morbi solutio*,

*tione,*

tione, siue lenta sit, siue subita, siue placida, siue turbulentia.  
2) Pro bona solutione morbi, & ea, quae est perfecta & non per-  
iculosa. Hoc significatu saepe occurrit. 3) Pro mala mor-  
bi solutione, imprimis ea, quae per mortem fit. Sic crisis sae-  
pe sumitur, quando ei nulla alia vox, v.g. bona, mala addi-  
tur. 4) Pro subita omni in morbo mutatione. Haec muta-  
tio cum nihil aliud sit, quam solutio morbi, hic vocabuli si-  
gnificatus ad eum, quem ipsi §. anteced. adscriptissimus, val-  
dopere accedit. Nam omnis subita morbi solutio simul est  
turbulenta (§. XI.), atque cum Veteres praeterea in his mor-  
borum mutationibus atque solutionibus ad naturam potius  
morborum, quam artis respexerint (GALENVS enim *Liber I.*  
*de Diebus decretor.* notat, crisin ex natura morbi, non extrin-  
secus oriri debere); hinc facile patet, adductam criseos no-  
tioneim cum ea, quam adduximus, valdopere conspirare.  
5) Pro perturbatione, quae morbi solutionem antecedit, vnde ex  
Veterum sententia patet, dari morborum solutiones, quae  
turbulentiae nuncupari possunt. 6) Pro morbi vigore. Ve-  
rae enim crises tunc maxime obseruantur. 7) Pro crisi (§.  
XI.), quae excretione absoluatur. Maxime tamen 8) is signi-  
ficatus obtinetur, quem GALENVS l.m.c. adduxit, qui, nos  
quidem, inquit, adeo repentinam in morbo mutationem crisin  
nominamus, cumque ipsam ut plurimum ad salutem, interdum  
vero ad aegrotantis interitum tendere adfirmamus, cum qui-  
bus simul conferantur ea, quae ad num. 4. dicta sunt. Co-  
gnoscere ergo ex antea dictis possumus, definitionem crise-  
os, quam exhibuimus, cum usu loquendi omnino conspira-  
re. Atque cum hodierni Medici eadem ratione hoc voca-  
bulo fere omnes vtantur; definitio praeterea allata omnia  
bonarum definitionum habeat requisita, criticae quoque mor-  
borum solutiones sic ab aliis egregie distinguantur, nullum  
est

est dubium, quin allata crisis definitio veritate sua gaudeat.  
 SCHOL. Crisis naturalem esse debere morborum solutionem, non solum ex illis patet, quae in ipso §. prolata sunt, verum etiam ex ipsa natura criseos perfici potest: oritur enim, ut patebit, ex virium corporis humani intensa actione. Verum hanc restituere, & tantum, quantum necesse est, augere, quando deficit, vix in artis potestate situm est, quod chronicorum maxime morborum ratio luce meridiana clarius ostendit. Omnes ergo crises erunt solutiones morborum naturales, & exinde veritas asserti quorundam Medicorum explicari potest, quod nimurum *ars crisi potius turbare, quam prouocare possit.* Non ideo tamen negari debet, artem, rite adhibitam, crism perfectioni maxime fauere; nonnunquam equidem artem sub crisi in subsidium vocare iure prohibit sapientes Medicis, ab omni tune remediorum usu abstinentia esse recte praecipientes. Verum artem non adhibere, saepe ars est.

### §. XIII.

*Lysis* est solutio morbi naturalis, & placida. Hinc omnis lysis erit simul solutio morbi lenta (§. XI.), nullaque solutio morbi turbulenta & subita lysis vocari potest; quare etiam eadem crisi, prouti §. XI. definita est, e diametro est opposita. Confer. ea, quae §. XII. dicta sunt.

### §. XIV.

Omnis crisis est solutio morbi naturalis, sed turbulenta (§. XI.): omnis solutio morbi turbulenta cōnexa est cum intensa virium corporis humani actione (§. X.). Ergo *omnis crisis supponit, ut omnes vires corporis humani intensius agant.* Pater hinc caussa generalis perturbationum criticarum. *Perturbationes* enim *criticae* dicuntur turbae, quibus cum connexa crisis existit. A valida igitur virium corporis humani actione generatim prouenient (per anteced.)

### §. XV.

## §. XV.

Crisis omnis supponit, ut vires corporis humani intensius agant (§. anteced.); quare eae potissimum corporis humani sub crisis aduentu agant necesse est, quae validiores producunt effectus & insigniter intendi possunt. Atqui huc pertinet *sensibilitas* pariter atque *irritabilitas* (per princip. pathol. & physiol.). Quare dubium non est, quin haec maxime corporis humani vires sub crisi intensiore debent exercere & producere actionem.

## §. XVI.

Si omnis crisis requirit, ut sensibilitas & irritabilitas partium corporis humani intensius agant, quod modo demonstrauimus (§ anteced.), sequitur: 1) Nullum morbum critice solui posse, qui sensibilitatem & irritabilitatem corporis humani non incitat. 2) In omni morbo critice soluendo, causam baerere debere, quae sensibilitatem & irritabilitatem excitat (num. 1.). 3) In omni morbo, critice soluendo, irritabilitatem & sensibilitatem partium corporis humani debere adhuc gaudere suo vigore. 4) Omnem morbum, in quo quidem causa stimulans adest, deficit vero aut languet sensibilitas & irritabilitas partium corporis humani, critice solui non posse (num. 3.). 5) Quo maior est sensibilitas & irritabilitas partium, & quo maior est stimulus, quem morbus subministrat, eo maiorem esse dispositionem ad criticam morbi solutionem, eo minoram autem, quo minori in gradu illa obtinent. 6) Crisis in eo maxime morbi studio debere comparere, quo sensibilitas & irritabilitas maxime incitari possunt. 7) Criticas perturbationes sensibilitati & irritabilitati maxime adscribendas esse (§. XIV. & XV.). Quam fructuofae haec omnes, ex prioribus deductae, propositiones sint, nemo non facile per-

spicit, qui crisiū naturam & phaenomena, quibuscum stiptantur, leuius tantum cognita habet.

### §. XVII.

Quaecunque etiam sit crisis, semper tamen causam supponit, quae sensibilitatem & irritabilitatem excitat (§. §. XIV. XV. XVI.). Quae vero sensibilitatem & irritabilitatem partium corporis humani excitant, proximius corpora sunt, hinc etiam *materiae*. Ergo *omnis crisis materiali, solidis corporis humani sensibilibus & irritabilibus applicata, sibi vindicat*. Quoniam autem tanto in gradu, quanto, laboreante corpore, sub critica morborum solutione fit, nominatae corporis humani vires sub sanitate non adficiuntur: *hinc materia tunc praesens morbosa esse debet.*

### §. XVIII.

Omnis crisis necessario requirit, ut materia morbosa solidis sensibilibus & irritabilibus corporis humani adplicetur (§. XVII.). Quare etiam in corpore ipso existere debet, cum praedicatum sit morbi, critice soluendi. Nunc omnes corporis humani partes vel solidae sunt, vel fluidae. Ergo materia morbosa, criticam morbi solutionem producens, vel solidis, vel fluidis inhaereat necesse est. Adplicatur ita materia solidis, si que hoc non fiat, nulla fit crisis (§. anteced.). Ergo in tantum solidis materia crisiū prouocans inexsistet. Quoniam autem ea ipsa materia a statu sanitatis abest: opus est, vt, quando solidis adplicanda est haec materia, ad eadem prius perducatur. Nunc fieri id sine fluidis non potest. Quare constat, *materiam, crisiū efficientem, fluidis inexsistere prius debere; hinc vero, promota ad solidā eadem, id effici, ut intensiores solidorum, ope irritabilitatis & sensibilitatis, siant motus, hincque criticae solutiones.* Porro: Cum materia

teria ista morbosa sit praedicatum morbi praesentis (§. anteced.), eademque, ut dominus, fluida adficere debeat; talis vero fluidorum affectio dicatur morbus: patet exinde, *morbum critice soluendum, esse morbum fluidorum.* Quia vero solida etiam morbose adficuntur: sequitur, *morbum critice soluendum, esse morbum fluidorum & solidorum.*

## §. XIX.

*Morbus ergo critice soluendus, concipi debet ut morbus, sub quo fortior stimulus fluidis inhaeret, hinc solidis applicandus.* Materia, quae vires corporis humani excitat, v.g. acre, calor, frigus, &c. dicitur *stimulus*: Stimulum, qui validius, quam status requirit naturalis, vires concitat, nominabo *fortiorem*, habito scilicet ad sanitatis statum respectu. Nunc morbus, critice soluendus, vindicat sibi materiam morbosam, fluidis prius inexistentem, hinc ad solida promotam, & sensibilitatem & irritabilitatem partium corporis humani excitantem (§. XVIII.), arque actio huius materiae tam fortis esse debet, ut statum sanitatis excedat (§. IX.). Quam ob rem patet, in omni morbo, critice soluendo, locum habere stimulum fortiorum, fluidis inexistentem, hinc solidis applicandum. Vera itaque erit propositio, quam enunciaui. Velle, ut B. L. huius propositionis veritatem rite intelligar; multorum enim demonstrationi inseruit.

SCHOL. Dixi in praesenti §. sub crisi vires adductas validius agere oportere, quam status naturalis requirit. Regeri posse, dari crises maxime salutares, quae aegrum sanum reddit; in his ergo vires corporis tantum agere, quantum sanitatis requirat. Concedo id quidem; sed prior sanitatis status pro mensura hic sumatur.

## §. XX.

In omni crisi sensibilitas & irritabilitas partium corporis

ris humani validius, quam in statu sano, excitantur a stimulo (§. XIX.). Nunc Pathologia ostendit, alias etiam solidarum partium vires hinc excitari, v. g. elasticitatem, vim cohaerentiae; neque minus has concitatas sensibilitatem & irritabilitatem incitare. Vnde concludendum, *morbos critice soluendos requirere quidem, ut sensibilitas & irritabilitas fortius agant, non excludendas tamen esse reliquas corporis humani vires.* Hinc etiam hanc ob caussam stimulus sub omnibus morbis, critice soluendis, in corpore adsumi debet (§. anteced.).

## §. XXI.

Omnis crisis supponit, vt vires corporis humani intensius agant (§. XXI.), quatenus solidis competitunt. Atqui intensa actio solidarum corporis humani partium efficit, vt etiam fluida intensius moueantur, praecipiente id Pathologia. Quare omnes morbi, critice soluendi, auctum humorum motum progressuum sibi vindicant. Auctus motus progressius causa evadit aucti motus intestini (per princip. pathol.): Ergo hic quoque sub istis afflictionibus corporis humani adsit necesse erit.

## §. XXII.

Cries nascuntur, dum stimulus, fluidis prius inhærens, solidis adPLICatur (§§. XIV. XIX.). Quot ergo dantur modi possibles, quibus stimulus ejusmodi morbosus fortior enascitur, tot erunt diuersae caussae crisium possibles. Huc ergo referatur, 1) *acre.* Hoc enim fluidis corporis humani inexistent, cumque his per varias corporis regiones vectum, solidis adPLICatur sensibilibus & irritabilibus, & caussa sit crisis possibilis (§§. XIX. XX.). 2) *Dolor.* Hinc enim sensibilitas excitatur, vt ex ipsa doloris notione cognoscitur. Atque, cum auctum sit sensibilitatem inter & irritabilitatem commer-

commercium: sequitur, a dolore excitari quoque irritabilitatem. Hinc dolor omnino erit causa possibilis, quae criticas morborum efficit solutiones. 3) *Motus humorum enormes*. Inde enim sensibilitas, irritabilitas, vis cohaerentiae, elasticitas, in solidis partibus excitantur, demonstrante id Pathologia (§§. XIX. XX.). Hisce causis omnes reliquae, quas breuitatis causa omittendas esse puto, iure accenseri & adnumerari possunt, quod ex speciali earum consideratione cuiilibet innotescet.

### §. XXIII.

Acre in corpore humano praesens, & causa critica-  
rum morborum solutionum (§. anteced.), irritat fortius.  
Hinc vero oritur motus sanguinis exacerbatus, demonstran-  
te id Pathologia. Eiusmodi ergo morborum solutiones  
cum orgasmō sanguinis connexae erunt. Dolor efficit com-  
motionem sanguinis maiorem, prout id in pathologicis  
ostenditur fuisse. Ergo istae quoque crises, quarum causa  
haeret in dolore, cum sanguinis auctiore circulo stipatae  
erunt. Quum denique similia de aucto humorum motu di-  
ci debeant: cognoscitur inde, omnem morbum, critice  
soluendum, ita comparatum esse debere, ut aucta sanguinis  
circulatio simul adsit.

### §. XXIV.

Quae haec tamen paullo exactius de criticis morborum  
solutionibus in medium allata sunt, ea generalia ostendunt  
crisium requisita. Plura procul dubio hac de re, neque in-  
utilia, dici potuissent, quolibet id perspiciente, qui conside-  
rat, innumera fere ex antecedentibus deduci posse corolla-  
ria. Nolui tamen exactam his crisium suppeditare theori-  
am, prohibente id potissimum arcto Speciminis inauguralis  
ambitu. Non sine utilitate tamen ad specialiora descen-  
dendum

C

dendum

dendum hic esse arbitror. Species itaque criticarum morborum solutionum afferam, atque, quid ad quamlibet iure requiratur, indagabo. Fiet sic, vt non solum ea, quae de febribus dein dicenda habebo, facilitentur, verum iis quoque, quae in antecedentibus iam luculentius demonstrata sunt, longe maius adhuc pondus adiiciatur.

## §. XXV.

Crisis est solutio morborum naturalis & turbulenta (§. XI.). Quot ergo huius solutionis species cogitari possunt: tot erunt etiam crisiū species assimendae. Dabitur ergo 1) *ea crisis species, quae fit redeunte sanitate.* Omnis crisis supponit, vt materia adsit, quae fortiores stimuli vires subit (§. XIX.), eademque est pars morbi critice solvendi (§§. XVII. XVIII. XIX.). Fac nunc, eandem ipsam materiam simul esse caussam morbi, quod possibile esse, nemo, nisi Pathologiae ignarus, negabit: opus tunc erit, vt, expulsa & remota ista materia e corpore, sanitas redeat. Nunc sub crisi vires corporis intenduntur. Fieri ergo potest, vt crisis absoluantur excretione materiae morbificae; ergo sanitatis redit. Nullum ergo erit dubium, quin crises species cogitari queat, quae plenarium sanitatis redditum post se trahit. 2) *Ea crisis species, quae producio alio morbo contingit.* Fac enim, materiam illam morbificam ad aliud locum deferri, quod iridem fieri posse negari nequit (§. V.), fiet tunc, vt morbus prior quidem desinat, sed in eius locum aliud substituatur. Nonne itaque crises cogitari possunt, quae aliud morbum efficiunt? 3) *Ea crisis species, quae fit per mortem.* Fieri enim potest, vt, actione virium corporis humani nimis intensa reddita, mors determinetur. Verum enim vero sub criticis morborum solutionibus intenduntur vires corporis humani (§§. XIX. XX.); ergo

ergo possibilis etiam erit ea crisis, quae aegri vitae finem imponit. Ex ipsa ergo naturae crisiūm consideratione stabilitas harum solutionum species hauriri possunt.

## §. XXVI.

Omnis critica morborum solutio vera erit illorum solutio (§§. I. IX.). Ergo tot crisiūm species cogitari possunt, quot solutionum species possibles sunt. Atqui omnis morbi solutio sit vel per redeuentem sanitatem, vel alium morbum, vel mortem (§. II.). Ergo nullae aliae etiam crisiūm species possibiles erunt.

## §. XXVII.

Patere ex his potest (§§. XXV. XXVI.), cur veteres Medici modo tres, modo quatuor crisiūm species assumserint? Qui tres tantum cogitant, easdem ita, ut §. XXV. docuimus, determinant. Qui vero quatuor crisiūm species stabilire maluant, secundam speciem (§. XXV. n. 2.) denuo diuidunt. Morbus enim nouus vel peior, vel melior est priore critice soluto. Noua hac distinctione admissa, quatuor omnino crisiūm species effici possunt. Alia enim fieri, ut sanitas integra redeat; alia ita, ut morbus peior producatur; alia hoc modo, ut morbus minor prodeat; alia deinde hac ratione, ut mortuo aegro, vita illius definit.

## §. XXVIII.

Cognoscitur etiam exinde distinctio crisiūm in bonas & malas. *Bona* erit *crisis*, quae vel redeuentem sanitatem, vel morbum minorem producit (§. III.). *Mala* e contrario ea erit, quae aut morbum peiores, aut ipsam mortem inducit (§. III.). Hinc *omnis crisis erit vel bona, vel mala*. Diuidi etiam posset in *optimam, malam, peiores & pessimam*. Pessima mortem efficit; peior morbum maiorem; mala, morbum minorem; optima, sanitatis reuocat statum.

C 2

## §. XXIX.

## §. XXIX.

*Critica morborum solutio per ecrifin fieri potest.* Fieri potest, vt crisia hac ratione contingat, vt materia morbifica ex corpore expellatur, sanitasque redeat (§. XXV.). Quare crisis est possibilis, quae excretione materiae morbificae absoluitur. Tunc vero crisis fit per ecrifin (§. VII.), adeoque crisis possibilis erit.

## §. XXX.

*Critica morborum solutio per metastasin contingere potest.* Fieri enim potest, vt sub crisi materia mörbosa ad locum quendam corporis humani vehatur, ibidem colligenda (§. XXV.). Talis vero solutio morbi per metastasin fit (§. VII.). Hinc crisis possibilis est, quae metastasi mörbosae materiae absoluitur.

## §. XXXI.

Optima crisis est ea, quae fit ita, vt sanitatis status in integrum redetur (§. XXVIII.). Nunc sub omni morbo, critice soluendo, obtinet in fluidis materia stimulans (§§. XIX. XX.). Ergo eiusmodi morbus per sanitatis integrae reditum absolui non potest, nisi materia ista desinat corpori inexistere. Quando itaque optima crisis contingere debet, opus est, vt crisis fiat per ecrifin (§. XXIX.). Quando autem crisis excretione materiae mörbosae absoluitur: haec vel omnem præsentem materiam expellit, vel non. Si prius: erit *crisis perfecta*; si posterius: *imperfecta*. Quam ob rem, cum crisia, quae integrum restituit sanitatem, hoc perficere nequeat, nisi omnis expellatur materia, cognoscitur inde, optimam crifin non solum per ecrifin fieri debere, sed perfectam etiam esse eandem oportere. Nulla ergo critica morbi solutio, quae contraria se se habet ratione, optima dici potest; vbi vero illa obtinet, aderit optima crisis.

## §. XXXII.

§. XXXII.  
Omnis crisis, quae aliud morbum producit, crisis erit metastatica, si materia immutata maneat. Talis enim crisis non est optima (§. XXVIII.). Ergo excretione stipatur vel nulla, vel imperfecta (§. anteced.). Vrroque in casu materia morboſa in corpore remaneat. Quodsi nunc haec materia iisdem in locis corporis, quibus ante crisis inerat, inhaereret: idem procul dubio morbus, non vero aliis, determinari deberet. Quando ergo morbus critice ita soluitur, vt in aliū abeat morbum; opus omnino est, vt materia morboſa ad alia loca, quam antea, vahatur, ibidemque vti prioribus in locis, accumuletur. Tunc vero materiae morboſae sit metastasis (§. VII.). Ergo descripta crisis semper erit crisis metastatica (§. XXX).

§. XXXIII.

Quando vero crisis aliud morbum producit, & materia, quae crisis efficerat, commutatur: non opus tunc eſt metastasi. Mutata enim materia morboſa in aliam materiae morboſae speciem, mutatur cauſa morbi; hinc etiam ipſe morbus. Quare, si illa materiae mutatio fiat a crisis, relicta ſimil illa in corpore: contingit tunc transitus morbi in aliud morbum, quamuis nulla fiat metastasis. Patet exinde, ſub hypothefi propositionis nulla opus eſſe metastasi. Dico, non opus eſſe: Nam haud raro accidere ſolit, vt etiam eiusmodi crisis cum metastasi connexa ſit. Quam ſaepe enim fit, vt, ſoluta inflammatione per criticam ſuppurationem, materia metastasi feratur ad alia loca, ibidemque colligatur? quam ſaepe v.g. fit, vt ii, quibus peripneumonia ita ſoluta eſt, abſceſſus pone aures, aliisque in locis obtineant.

§. XXXIV.

Quando morbus, critice ſolutus, in aliud transit mor-

bum,

C 3

bum, tunc relecta materia (§. XXXI.) vel eadem mansit, quae  
lis antea fuit, vel non. Si prius: metastasis fieri debuit (§.  
XXXII.); si posterius: mutata est materia, ira tamē, ut  
morbosa maneat, tuncque non opus est metastasi (§. antec.).  
*Crisis itaque morbi, quae sit per transitum prioris morbi in  
alium morbum, vindicat sibi vel metastasim, vel commutationem  
materiae morbosae in aliam morbosae materiae speciem.*

*Quodsi denique crisis ita fiat, ut mortem habeat pedisse-  
quam, tunc vel 1) metastasis materiae morbosae continget ad  
loca vitalia, quae horum actionem perdurare non finit; vel  
2) intensae corporis virium actiones tales efficiunt mutationes  
in functionibus vitalibus, quae non minus, quam prior causa,  
eadem functiones destruit & tollit. Vtrumque casum exhi-  
stere, ipsa experientia docet. Quam frequenter enim aegri,  
factis enormibus turbis, iugulantur apoplexia, catarrho suf-  
focatio, quae adfectiones metastasi materiae morbosae suos  
natales debent? Quam saepe sit, ut cursu sanguinis nimium  
sub criticis laboribus concitato, ob vasorum rupturam, apo-  
plexia efficiatur? In hoc casu proprie non sit metastasis.  
Confirmat itaque experientia, vtroque modo lethalem cri-  
sin contingere, neque modus siendi ex antea dictis difficil-  
ter perspicitur. Facile etiam insuper demonstrari potest,  
nullo alio morbo crisi lethalem euadere. Mors enim ex  
crisi perficitur, vel a materia morbosā, vel non. Si prius:  
opus est metastasi, cum antea materia morbosā iis, in quibus  
nunc haeret, non inerat locis. Si posterius: mors pende-  
bit a circumstantiis, quibus connexae sunt crises. Itiae ve-  
ro circumstantiae nil sunt, nisi turbæ (§. XI.); unde conclu-  
do, mortem per crisi non, nisi descriptis rationibus, effici  
posse.*

§. XXXVI.

**¶. XXXVI.**  
Cave B. L. existimes, haec, quae hactenus (§§. XXXI-  
XXXV.) disputata sunt, a scopo nostro aliena esse. Ex ipsis  
enim nunc eruenda erunt illae circumstantiae, quas specia-  
tim crises sibi vindicant. Ordine itaque omnia illa momen-  
ta paullo exactius indagabo, quae ad quamlibet speciem cri-  
sium maxime sunt necessaria. Non solum ex his paret  
causa crisium, a febrium genio redundans; verum non po-  
terit etiam haec disquisitio practica destitui utilitate, dum  
practicis regulis ansam dar.

**¶. XXXVII.**

Quod ergo 1) eam criseos speciem attinet, quae *eccrisi*  
producitur; illa equidem generatim nihil aliud requirit,  
quam congescionem materiae morbosae ad loca se- & excre-  
toria (sive nunc haec fiat praeternaturaliter, sive contingat  
naturaliter) & transitum illius per eiusmodi loca. Verum,  
ut duo haec momenta efficiantur, innumeris ferme opus est  
circumstantiis. Requiritur nempe 1) *resolutio* *materiae*.  
Fieri enim posse, ut materia, critice excernenda, spissa sit,  
ipsa Pathologia comprobatur. Quodsi nunc eiusmodi materia  
renera adsit; non poterit sane per minora vascula, qualia  
sunt in locis se- & excretoriis, transire. Remanebit itaque,  
neque illius excretio contingat. Ne ergo talis materiae  
excretio omnimodo impediatur, opus est, ut antea resolu-  
atur. 2) *Vasa* se- & excretoria ne sint vel obstruenda, vel spas-  
mo adficiantur. Alias enim materia per eiusmoda vasa transire  
non potest. Hisce vasorum vitiis alia substitui possunt, quo-  
rum similes sunt effectus, v. g. coalitus; quae ergo ob eandem  
causam abesse debent. 3) *Motus* *fluidorum* fiat inten-  
sior ad loca se- & excretoria, sed non umium excedat. Nam  
sub crisi, de qua nunc loquimur, excretiones intendi de-  
bent;

bent; nullum enim criticum debet esse paucum. Ergo motus etiam fluidorum, utpote quibus inhaeret materia morbos, versus loca se- & excretoria intendatur necesse est. Quoniam autem motus fluidorum, nimium quantum intensus redditus, causa sit spasti, qui abesse debet (n. 2.), sequitur, iustum in hoc morti moderamen debere obtinere.

4) *Materia morbos ita affecta, ut non nimium irritet, bini aut mutata, aut involuta;* alias enim spasmus determinantur (n. 2.). Haec momenta ergo, si in criticis morborum solutionibus conspirent, optimam crisiis efficiunt (§. XXXI). Si 5) *materia morbos non nimia in quantitate adfuerit.* Quodsi enim quantitas morbosae materiae excedat, facile sit, ut vel illius pars in corpore remaneat, vel vires corporis nimium incitentur, quod utrumque non solum languorem & insufficientem excretionem producit, verum etiam speciebus optimae crisi oppositis satis secundam suppeditat causam. Ex intellectis vero hisce, ad optimam crisiis necessariis momentis, non solum reliqua specialiora intelliguntur, verum impedimenta quoque illius perspiciuntur.

*§. XXXVIII.*

Sequuntur II. crisiis translatoriae, seu eae, quae per metastasis sunt (§§. XXX. XXXII.). Ad has requiritur 1) *ut impedimentum adsit, quod efficit, ut critica materia, seu materia critice excernenda, eliminari nequeat.* Fac enim, eiusmodi impedimentum non adesse: nulla tunc adesset causa, quae eocrisiis perfectam (§. XXXI) impidiret. Nulla ergo materiae criticae pars in corpore remanere posset, quod contra naturam crisis translatoriae pugnat (§. XXXII.). Omnis ergo crisis translatoria requirit, ut materiae criticae excretio sive in totum, sive ex parte tantum sit impedita. Huc ergo omnia ea pertinent, quae §. anteced. adducta sunt,

v. g.

v.g. copia, visciditas materiae criticae, perturbatio critica nimis excedens, &c. Quare etiam incongruo medicamentorum vsu eiusmodi crisis metastatica, seu translatoria, effici potest. 2) *Vt pars quaedam corporis humani ita sit compara-ta, vt ad eandem critica materia quasi trabatur.* Nam crisis translatoria requirit, vt materia critica peculiari in loco corporis humani accumuletur (§§. VII. XXX. XXXII.). Huc ergo pertinent debilitas & irritatio fortior loci, quae liquida attrahunt quasi; *Spasmus, obstruc-tio*, aut similia virtus, quae non permittunt, vi critica materia per vasa transeat; *con-sensus partium, potissimum cellulose*, vnde sit, vt materia critica ex uno ad alium feratur locum. 3) *Immeabilitas mate-riae criticae*: nam colligi in eo loco debet, ad quem delata est (§§. VII. XXX.). Pone, eandem esse meabilem, tunc impossibilis erit collectio. Huc ergo *visciditas, spissitudo mate-riae criticae, obstruc-tio, spasmus vasorum, natura loci, transi-tum congruum non permittens, reuocanda erunt.* Ex hisce allatis caussis reliquae nunc crisis translatoriae caussae facile cognoscuntur.

## §. XXXIX.

Accedo III. ad eam crisis speciem, quae fit, *dum ma-teria morbo-sa immutatur* (§. XXXIII.). Quando de materiae cuiusdam in corpore nostro loquimur commutatione: cogitamus tunc, mixtionem illius materiae esse mutatam. Crisis itaque, de qua nunc loquor, mixtionem materiae morbo-sae alteratam supponit. Nunc motus intestinus materia-rum, in corpore nostro contentarum, mixtionem mutat, neque mutari materiae potest mixtio sine motu intestino. Quare crisis, cuius aetiologyam indagamus, requirit motum intestinum, in ea materia, quae crisi excitauerat, concita-tum. Atqui Pathologia pariter atque Physiologia demon-strant,

strant, in euoluendo motu intestino tam naturam materiae, quam actionem solidarum partium respiciendam esse. Docuimus etiam in antecedentibus, sub critico labore vires partium solidarum, corpus humanum constituentium, intendi. Quare generalis huius *crisis caufsa latebit in fortiori partium solidarum in materiam morbosam actione, qua sit, ut motus in eadem intestinus, actioni solidorum & naturae ipsius materiae respondens, huiusque mixtionem immutans, concitetur.* Quando autem talis contingit crisis: opus tunc praeterea est, ut a materia aliis producatur morbus (§ XXXIII). Retineri itaque materia debet. Constat inde, *praeter motum intestinum antea descriptum, debere simul caufas adesse, quae materiam immutatam retinent* (quae ex §. XXXVI. hauriendae sunt), si crisis ita fieri debeat, ut materia morbosam committetur. Demonstraui quoque §. XXXIII. fieri posse, ut haec crisis species simul sit translatoria & metastatica. Quod si vere accidat, *caufae modo descriptae coniunguntur cum causis crisis translatoriae, quas §. anteced. fusi exponui.* Idem dicendum erit, quando crisis translatoria cum mutata mixtione materiae coniungitur, quod non ita raro fieri solet; tunc enim vtriusque criseos caufas complicari & combinari, nullo perspicitur negotio. Quum denique motus intestini, in corpore humano concitati, adeo sint diuersi, & materiae criticae adeo enormiter differant: patet, innumeras fere huius crisis esse species.

#### §. XL.

Demum IV. ea crisi species, quae morte absolvitur, adhuc consideranda restat. Diximus §. XXXV. eandem dupli ratione fieri, & pro diuersitate harum caufarum generali diuersi etiam erunt specialiores. Quando 1) metastasi sit, tunc opus erit, ut caufae metastaticae crisis adsint § XXXVIII.).

(§. XXXVIII.), hac tamen sub hypothesi, ut caussae illae critis translatoriae, quae materiam criticam ad peculiaria corporis humani loca trahunt (§. XXXVIII.), agant in partes vitales (§. XXXV. num. 1.); hinc in cor, cerebrum, vitales sustentans functiones, & pulmones. In his ergo caussae §. XXXVIII. descriptae praesentes esse debent. Quando 2) ab intensa virium corporis humani actione oboritur (§ XXXV.): variis tunc modis ingeneratur. Modo enim fluida ita impelluntur, ut, facta vasorum ruptura, extrausationem in visceribus vitalibus patiantur; modo materia critica ita immutatur, ut viscerum vitalium actio destruatur, e. gr. sub gangraena & sphacelo; modo spasmi, oborti in pulmonibus, &c. necant; modo enormis debilitas, motus validos excipiens, functiones suppressit vitales, & quae plura id generis adferri possunt. Notamus hic adhuc, α) *crisis letalem semper esse coniunctam cum impedimentis perfectae materiae morbosae excretionis* (§§. XXXVII. XXXVIII. β) Saepe contingere, ut *crisis translatoria letalis connexa simul sit cum immutatione materiae morbosae, & crisis letalis, immutatione materiae facta, cum metastasi letali complicetur.* Causae ergo patent ex §§. XXXVIII. XXXIX.

## §. XL.

Crisis optima semper perfectam excretionem materiae morbosae requirit (§. XXXI.); crisis vero, quae nouo producto morbo contingit, vel metastatica est, vel mutata materia morbosca accidit (§§. XXXII. XXXIII. XXXIV.); crisis demum letalis vel per metastasis producitur, vel a nimis intensa virium corporis actione subnascitur (§. XXXV.). Ergo praeter has crisisum species nulla alia adhuc possibilis (§§. XVI. XVII. XVIII.). Hinc ergo crises sufficienter a nobis sunt consideratae (§§. XXXVI.-XL).

D 2

§. XLII.

## §. XLII.

*Nullus morbus, critice soluendus, poterit esse morbus chronicus.* Exacta morborum chronicorum consideratio nobis valde fructuosam eorundem ostendit notionem. Possumus enim morbum chronicum concipere ut morbum, in quo vires corporis humani minus erga caussam & morbum agunt. Propositum meum non permittit, ut hanc notionem & eius veritatem euoluam atque demonstrem. Sed consideres omnes morbos chronicos, videbis suppeditatam ideam ad omnes quadrare: positis his, facile perspicitur, nullum morbum, critice soluendum, chronicum esse posse morbum. Quum enim a nobis sufficienter in superioribus demonstratum sit, critice supponere vires corporis intense agentes, sive fluida, sive solida species (§. § XX-XXIII.): nullus morbus, critice soluendus, languore virium corporis humani stipatus esse debet (§. XVI.). Verum huius indolis fere omnes sunt morbi chronicci (per anteced.). Ergo nullus morbus, critice soluendus, chronica affectio esse poterit. Considero hic morbum chronicum in se spectatum, non cum aliis connexum. In hoc enim casu crisis possibilis est. Quod autem veritatem, quam demonstravi, non destruit.

## §. XLIII.

*Crisis morborum chronicorum impossibilis est (§. anteced.).* Morbi acuti chronicis opponuntur. Ergo in morbis acutis crisis erit possibilis. Quod etiam obseruatio docet.

## §. XLIV.

*Dantur morbi, qui neque chronicci sunt; neque acuti (per princip. pathol.).* Verum in illis minus etiam intenduntur vires corporis humani. Ergo aequae minus, ut chronic-

chronici, crisi poterunt solui. Concludimus itaque exinde, omnem morbum, critice soluendum, debere ita comparatum esse, ut morborum acutorum numero accenseri possit (§. XLIII.).

### §. XLV.

Saepius iam a me euictum atque adductum est, sub omni crisi vires corporis humani intendi. Agunt vero tunc erga stimulum, qui causa crisium existit (§. XX.). Quare crisis concipere possumus, ut solutionem morbi, quae a pugna virium corporis humani erga materiam morbosam obicitur. Sed complexus virium corporis humani naturam illius constituit. Erit itaque *crisis solutio morbi*, quae a pugna naturae contra morbum nascitur. Hinc Veterum dictiones explicari possunt.

### §. XLVI.

Explicari hinc poterit vulgaris satis dictio, *robustam naturam in morbis non semper esse bonam*. Facile enim in hoc casu sit, ut pugna illa naturae contra morbos, critice soluendos, nimium excedat. Quoniam nunc in antecedentibus fusius demonstratum a nobis est, inde lethalem crisis subnasci posse; lethalis vero crisis pessimae crisis; iure hinc concludimus, fieri omnino posse in morbis, critice soluendis, ut nimis robusta corporis cuiusdam natura non sit bona.

## S E C T I O II.

DEMONSTRANS

CRISES FEBRIBVS TANTVM, NON ALIIS  
MORBIS SOLEMNES ESSE POSSE.

## §. XXXVII.

**V**eritates, quas priore in Sectione suppeditaui, adeo huic Sectioni inseruiunt, eandemque illustrant, ut sine multis ambagibus absolui queat. Pauca tantum de natura febrium praefari debemus. Nam integrum hic febrium naturam delineare, neque cum proposito meo conspirat, neque in tanta dicendorum necessaria breuitate commode ut absoluatur fieri potest. Ad ea itaque tantum attendamus, quae demonstrationis propositionis hic necessariae prae ceteris inseruire possunt.

## §. XLVIII.

*Nulla febris sine celeriore sanguinis motu existit.* Haec est propositio, quam ipsa experientia discimus. Confirmatur etiam ideo summorum Medicorum suffragiis. Regeri equidem posset, dari haud infreuenter casus, vbi in subiectis, quae febrire aliunde nosti, languor circulationis se se offerat. Verum si rite & sine praconceppta opinione hosce consideres casus: inuenies, facile hunc nodum solui. Modo enim plethora, modo insignis debilitas, aut destructa irritabilitas efficit, ut cum febri, quam praesentem esse iudicas, languor circulationis connexus existat. Non ergo a natura febris pender, sed ab accidentibus proficitur. Quis vero accidentalia cum necessariis commiscet? Quid? quod negari debet, febrem adesse, si celerior non adsit sanguinis motus, maleque tunc iudicatur subiectum febrire.

febrire. Praeterea alia phaenomena, cum febre connexa, idem luculentissime demonstrant. Pulsus, calor febrilis, astus, quid quaeſo aliud, quam intensiorem ſanguinis circumulum oſtendunt? Verum itaque erit, quod nulla febris fine celeriori ſanguinis motu & circuitu exiſtere queat.

### §. XLIX.

Alterum, quod ad febrim requiritur, momentum, *spasmus* erit *in peripheria corporis ſubortus*, qui prius momentum antecedit. Negari non potest, nonnunquam contingere, ut spasmus ille non obſeruetur. Cauē vero extimes, ideo ſpasmus peripheriae corporis ad febris non pertinere naturam. Etenim 1) obſeruatio docet, in illis iphis febribus, in quibus nonnunquam ſpasmus non obſeruas, alias & frequentius ſpasmus adereſſe. Quodſi ergo vere etiam abſit: non pendebit id a natura febris, ſed ab impedimento quodam, quod ortui ſpasmī obiicitur. 2) Male ſemper concluditur: *Hoc non obſeruatur, ergo non aderit.* Senſuum teſtimonia non ad omnium rerum abſentiam extendi debent. 3) Minora incommoda non ſentit aeger, neque eadem Medicus perſpicere potest. 4) Senſatio minor ſupprimitur ſenſatione maiori. Haec ergo, ſi incidat in aegrum febrentem, efficere potest, ut ſpasmī frigorisque ſenſum non percipiat. Quae cum ita ſint: iure etiam meritoque inde colligo, ſpasmus peripheriae corporis requiri ad naturam febris, licet nonnunquam non obſeruetur.

### §. L.

Iure itaque a Pathologis febris concipiſtur ut morbus, *ex ſpazio peripheriae corporis & auto moffae ſanguineae motu & circulo compoſitus.* Vnde colligitur: *quidquid cauſam ſuppeditat morbi ita compoſiti, illud etiam erit cauſa febris;*

*bris*; quidquid vero non ita est comparatum, illud febris etiam causa esse non potest.

§. LI.

Corde vasisque sanguiferis arteriosis fortius irritatis, acceleratur sanguis in circuitu suo, prout in Pathologia ostenditur. Tunc vero cor sanguine obruitur, riteque se esse euacuare non potest, quod itidem ex Pathologia constat. In hoc ergo casu cor debilitatur. Corde debilitato, sanguis ad extrema ferri non potest; nam causa debilitata, debilitatur effectus. Impedito sanguinis ad extrema motu, tolletur effectus in extremis a sanguine perficiendus, hinc etiam calor, cuius idcirco vicem oppositum, nempe frigus, unde spasmus peripheriae corporis determinare solemus, occupat; constat ergo ex allatis, a corde vasisque sanguiferis arteriosis, fortius irritatis, spasmus peripheriae, tanquam momentum febris (§. XLIX.), subnasci posse. Augetur vero tunc resistentia partium respectu cordis, magisque hoc ergo reagere annititur, increscit resolutio sanguinis & calor; vnde sit, ut partes frigore adfectae denuo laxentur, sanguisque in minora etiam vasa transire aptus reddatur. Desinit itaque frigus, dum interea causae irritantes agere pergunt: celerior & auctior sanguinis motus conspicitur, quod alterum erat febris momentum (§. XLVIII.). Patet ergo, fortiorē cordis & vasorum arteriōrum irritationem esse causam febris (§. L.).

§. LII.

In febre adeat auctus sanguinis circuitus (§. XLVIII.). Nullus auctus circulus sanguinis fit, nisi cor & arteriae fortius stimulentur, (per princip. pathol.). Ergo fortior cordis & arteriarum sanguiferarum irritatio non solum est caus-

sa

*sa febris (§. anteced.), sed omnis etiam caussa febris bac ratione agere debet.*

§. LIII.

Quodsi nunc haec, quae demonstravi (§. §. LI. LII.), rite perpendas: iure exinde colliges, tot febrium caussas ad satis simplicem reduci posse, ad fortiorum nempe cordis & vasorum arteriosorum sanguiferorum irritationem. Considera omnes febrium species; cogita omnes illius causas, semper confirmatum reperies hocce assertum. Quamobrem exinde etiam concludendum: *Quidquid fortius irritat has saepe nominatas partes, illud veram febris suppeditare caussam.*

§. LIV.

Docet obseruatio, *febres esse modo acutas, modo chronicas*, modo ita comparatas, ut iure neque ad chronicas, neque ad lentas referri queant. Ad primam speciem referuntur febres v. gr. continentis, inflammatoriae, malignae vocatae, biliosae; ad secundam vero febres lentae & hecicae, cum febribus intermittentibus; ad tertiam denique omnes ferme catarrhales benignae. Conf. Perillustr. van SWIETEN Comment. in Aphor. BOERHAAVII Tom. II. §. 564. Reliquae febres, quas non nominauit, itidem modo ad acutas, modo ad chronicas, modo ad tertiam speciem pertinebunt.

§. LV.

*Febres modo crisi, modo lyssi, solui debent.* Sub omnibus enim febribus intenduntur vires corporis humani (§. §. LI. LII.), atque sub acutis, quales dantur (§. LIV.), validius (§. §. XLII. XLIII. XLIV.). Omnis itaque febris acuta critice solui potest (§. §. m. cit.). Nullus vero morbus chronicus,

E

nicus, aut qui neque acutus, neque chronicus est, (§. §. XLII.  
XLIV.), critice solui potest. Dantur febres chronicæ, ut &  
eae, quae neque acutæ, neque chronicæ sunt, quae ergo cri-  
tice solui non possunt (§. §. LIV. XLII. XLIII.). Earum er-  
go solutio modo crisi opposito continget; hinc lyfi (§. XIII.).  
Quamobrem omnes febres modo crisi, modo lyfi solui de-  
bent. Quod etiam obseruationes adeo egregie confirmant,  
ut nullus hac de re dubitandi locus superesse possit. Pos-  
sem hoc per omnes febrium adductarum species ostendere.  
Quoniam autem meum tantum est, haec magis generatim,  
quam speciatim euoluere; libenter a me omittuntur, idque  
eo magis, quo plures in specialioribus disceptationes Medi-  
corum occurruunt, quas tangere breuitas scripti huius acad-  
mici non permittit.

### §. LVI.

Demonstraui hac ratione generatim, febres acutæ cri-  
si solui posse (§ antec.). Inuabit tamen alia adhuc ex priori  
Sectione repete momenta, quae magis adhuc huius propo-  
sitionis veritatem stabilient. Confirmabitur vero eo potis-  
simum, quod omnia illa momenta, quae ad quamlibet su-  
perius stabilitam crisiū speciem sunt necessaria, sub febri-  
bus acutis satis facile nascantur. Febris materias resolut;—  
vasa obstructa referat; spasmo liberat; motum sanguinis &  
reliquorum fluidorum ad loca secretoria intendit; mutat &  
inuoluit materiam morbosam, prout haec omnia satis ex  
Pathologiae assertis perspiciuntur. Ad sunt ergo sub febre,  
& potissimum acuta, eae circumstantiae, quae crisi, per  
eccrisi producenda, fauent (§ XXXVII.). Saepe vero et-  
iam contingit, vt horum contraria nascantur. Vasa saepe  
a febre noua obstruuntur, generatur debilitas, & praecipue  
in

in cerebro & pulmonibus, materia spissior redditur, motu intestino novo alteratur, quid? quod haud raro materiae morbosae copia valdopere per ipsam febrim increscit, unde dein nimis fortes in corpore generantur motus. Quare etiam a febre omnes reliquae crisiū species (§§. XXXVIII. XXXIX. XL.) oriri possunt. Quodsi nunc præterea perpendas, omnes corporis humani vires sub febre acuta, tam solida, quam fluida quod attinet, intendi; motum sanguinis valide concitari; acre demum & dolorem, vna cum motibus humorum enormibus, cauſas esse febrium acutarum: tunc eo minus dubitabis de solutione febrium acutarum critica (§§. XIX-XXIII.). Quibus ergo omnibus veritas §. anteced. euicta confirmatur atque stabilitur.

### §. LVII.

*Quodsi quemlibet febrium intermittentium paroxysmum pro morbo acuto habeas: critice tunc morbus iste soluetur.* Dum de natura morborum acutorum generatim disserit SYDENHAMVS, haec inter alia adfert: — *huiusmodi plane morbi sunt isti, quos acutos appellamus, qui velociter scilicet atque cum impetu & periculo ad statum mouentur.* Quanuis, si minus accurate, haud tamen minus vere loquamur, isti etiam morbi sint pro acutis babendi, qui, licet respectu paroxysmororum, si omnes simul sumantur, tardius mouant, respectu tamen paroxysmi cuiuslibet particularis, cito atque etiam critice ad finem perueniunt, quales sunt febres intermittentes omnes. Confer. Tract. eiusd. de Morbo acuto Cap. I. Pater ergo ex allatis, SYDENHAMVM febres intermittentes pro morbis vere chronicis habuisse; quemlibet vero earum paroxysmum ut morbum acutum

concepisse. Neque iniuste id fieri ipsa natura rei comprobatur. Verum in eo casu largiri etiam debemus, quemlibet paroxysmum critice solui. Nam adeo solutio naturalis, turbulenta, subita; hinc crisis vera (§. XI.). Repugnare id videtur assertis §§. XLII. & LIV.; verum optime cum his consentit. Affirmaui §. LIV. febrem chronicam critice solui non posse, i. e. febris chronica ita est comparata, ut, in toto suo ambitu considerata, critice solui nequeat. Huic vero propositioni non repugnant ea, quae modo adduxi. Euici enim §. XLII. nullum morbum chronicum, ob languentes virium corporis humani actiones, critice solui posse. In febribus intermittentibus, in toto suo ambitu sumtis, vere languor ille virium obtinet. Nam non sufficiunt ad omnem cito expellendam materiam, sed quilibet paroxysmus determinatam sibi vindicat materiae copiam, atque haec critice excerni potest, cum eidem eliminandae vires corporis humani facile pares esse possint. Hinc & hic paragaphus cum allatis conspirat. In reliquis febrium chronicarum speciebus multa occurunt, quae impediunt, quo minus de iisdem idem, quod de febribus intermittentibus diximus, affirmari queat; nam continuis adnumerantur. Idem etiam de iis praedicandum est, quae neque chronicae sunt, neque acutae.

### §. LVIII.

Si febris occurrat, ex chronica & acuta composita, aut complicata: crises tunc & lyses erunt possibles. Crises ob febrem acutam; lyses, ob febrem chronicam, (§. LV.). Ipsa etiam tunc chronicia critice solui potest, dum crisis acutae etiam critice soluit febrem chronicam. Qui Pathologiam hac occasione respicit, simulque ea considerat, quae

quae fidelissimae obseruationes comprobant & ostendunt, facile has propositiones conceder. Idem vero valebit de febre ex acuta, atque ea, quae neque chronicā, neque acuta est, composta aut complicata (§. LV.).

## §. LIX.

Demonstravi haec tenus priorem meae propositionis partem, crises nempe cum natura febris conspirare, atque in his corporis humani affectionibus possibles esse. Facile largior, longe plura hic dici posse; ad me vero non pertinent. Sequatur ergo altera pars, nempe, *nulla critica morborum solutio fieri sine febre potest*; quod nunc sine multo labore ostendi potest.

## §. LX.

Omnis crisis requirit, ut vīres corporis hūmani, irritabilitas potissimum & sensibilitas, validius incitentur, per ea, quae in priore Sectione demonstravi. Irritabilitas & sensibilitas incitatae, sunt caussae febris (§. §. LIII. & LVI.). Quare *omnis critica solutio comitem babebit febrem*, quae ergo febribus tantum, non aliis morbis familiaris esse potest. Corroboratur haec propositio, si considerentur momenta, quae critica morborum solutio requirit (§. § XXXVII–XL. & LVI.), quae vix sine febre oboriri possunt. Qum etiam demonstratum sit, nullam, nisi febrem acutam, critice solui (§. LV.): *omnis critica morborum solutio febre acuta stipata esse debet*. Qui ergo subito & concitatis turbis moritur, febre acuta moritur. Vnde de nouo confirmatur pathologica propositio: *nullos ferme homines sine febre mori*.

Quoniam ergo omnis critica morborum solutio pro-  
uenit a febre acuta (§. LX.): sequitur, Medicum, in diri-  
gendas crisis occupatum, febrem acutam attendere de-  
bere. Si haec supprimatur, supprimitur crisis; si rite di-  
rigatur, rite etiam dirigitur crisis; si augeatur, aut immi-  
nuatur, augetur quoque aut imminuit critica perturba-  
tio. Quae cum ita se habeant, quantae sit virilitatis argu-  
mentum, quod luculentius pertractavi, nemo non perspi-  
ciet. Quodsi demum, quae §§. XXXVII. XXXVIII.  
XXXIX. & XL. disputata sunt, consideres, non deficien-  
tibi practicae regulae, quas curatio morborum, critice sol-  
uendorum, respectu crisis, aut praesentis aut futurae, re-  
quirit. Quum autem illae sine ullo labore hinc eruan-  
tur, mea non opus est re-  
censione.

## T A N T V M.



PRAE.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO

S. P. D.

IOANN. FRIDERICVS GERHARDVS KOCH,  
HANNOVERANVS,

MED. CVLT. OPPONENS.

*Affulsa fusa lux, qua in te, amicorum optime, collocata  
video praemia eruditionis, labore, assiduitate atque diligentia  
comparatae. Quum hoc die laeto atque festiuo summi in arte  
Machaonia honores ab AMPLISSIMO ORDINE MEDICO  
TIBI conferendi sint; quum solemnitate huius diei tot amico-  
rum vota parentur; mibi ipsi non satisfacerem, si nunc publi-  
cum quoddam mei erga te amoris sincerissimi documentum de-  
ficeret. Quamquam enim te non fugit, quanti te, Amice  
praestantissime, semper fecerim, inter primas tamen mei offi-  
cii partes ponendum existimo, quod & publica significatione de-  
clavem, quantum tibi debeam & quanta obseruantia te tu-  
amque amicitiam semper coluerim. Sed exoptata, quae inter  
nos fuit, consuetudo citius, ac sperauit & opinatus sum, tolli-  
tur, cum alia fata dissitas in regiones nos trabant. Certissi-*

me



me tamen confido, fore, ut amicitia nostra, non obstante hoc  
mutuo discessu, sit in posterum per omnem vitam duratura.  
Eximie interim gaudeo, quod iam TIBI meritissimo, de egre-  
gie scripta Dissertatione, deque honoribus doctoralibus iam de-  
cretis, possim gratulari. Sed cum plurima de laudibus TVIS  
& indefessis laboribus mibi merito dicenda essent, vereor, me,  
eorundem forte praeconem publicum, TIBI maxime fore inui-  
sum. Repetas autem patriam urbem, precor, incolmis;  
vivas diutissime, in splendidissimae TVAE familiae, TE iam ar-  
denter expectantis, ornamentum, multorumque aegrotorum  
solatum. Mei vero, nostraeque amicitiae, ut non sis imme-  
mor, rogo, ohsecroque. Valeto. Dab. in Regia Fridericiana,  
d. IX. Octobr. A. S. R. c. 12 Iec LXIV.



01 A 6530




10186cat 92



PLATE  
V





TIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**R I S I B V S**  
**B R I B V S T A N T V M ,**  
**I S M O R B I S C O N N E X I S ,**

QVAM  
INI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
P R A E S I D E  
EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**E A E L I A B V C H N E R O**  
ROMANI IMPERII NOBILI,  
PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
SOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
ADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
VM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
S. SODALI, ET COMITE PALATINO CAESAREO,

**A D V D O C T O R I S**  
MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
T O R A L I B V S R I T E C O N S E Q V E N D I S  
TOBR. A. R. S. cīo I o c c l x i v .  
**M A R E G I A F R I D E R I C I A N A**  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**L V S C V H L E M E Y E R**  
R F O R D A - G V E S T P H A L V S .

---

VRG. APVD IO. CHRIST. HENDELII VIDVAM.